



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **QUANTO OBSEQUIO** MARIA VIRGO AB OMNI PECCATI
LABE EXPERS CONFIRMATUR

GUINEAE AEQUATORIALIS PATRONA APUD DEUM Ad perpetuam rei memoriam. – Quanto obsequio quantaque
veneratione Mariam prosequamur Christi Matrem Ecclesiaeque universae Reginam, iam ex omni Nostra tum vita tum
loquendi agendique ratione patet: nihil enim agimus ex quo non etiam cum Dei Christique laude beatissimae Matris eius,
floris camporum stellaeque lucidae caeli, spectemus honorem, cum sit clementissima illa Mater fons gratia profluens,
atque exemplum filiis egregium virtutis. Qua re, cum Venerabilis Prater Raphael M. Nze Abuy, Archiepiscopus
Malaboensis idemque Conferentiae Episcoporum Guineae Aequatorialis Praeses, Nobis preces admoverit, ut electionem
B. M. V. Immaculatae in Patronam Guineae Aequatorialis, quam populus fecisset, ipse vero ceterique totius nationis
Episcopi probavissent, ad normam Instructionis de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis
recognoscendis, n. 30, confirmaremus; Nos, considerato ornonia acta fuisse ad iuris praescripta, bene fieri censuimus, si
optatis tum sacrorum Praesulum, tum fidelium concederemus. Haec cum ita sint, iis probatis, quae Congregatio pro Cultu
Divino hac de re censuerit factis olim a Nobis facultatibus, sive electionem sive probationem confirmamus Beatae Mariae
Virginis sub titulo Immaculatae Conceptionis in Patronam totius nationis Guineae Aequatorialis cum iuribus atque
privilegiis debitibus, certa spe fore ut non solum pietas populi illius amatissimi gliscat in pectoribus erga Matrem tam
sanctam, sed etiam ut Illa e caelo filiis assit, a periculis prohibeat, iter illorum ad inmortalem patriam benevolia muniat:
nullus enim umquam peribit, si Matrem tantam dilexerit, respexerit Illa. Contrariis nihil obstantibus. *Datum Romae, apud
Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVI mensis Maii, anno MDCCCCLXXXVI, Pontificatus Nostri
octavo.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1986 - Libreria Editrice Vaticana